

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Becker

**Programma Qvo Sub Tempus Jejuniorum Rector Academiæ Rostochiensis M.  
Petrus Becker/ Math. Prof. Publ. Ord. ... Civibus Academiæ Amorem Purum Dei &  
Servatoris Patientis, Tanqvam Incitamentum Piæ Vitæ, Devote meditandum,  
proponit ...**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1716?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003520332>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

---

1716. Fasken.

~~M-1256.~~ 144.

A. 1716.

PROGRAMMA  
QVO  
SUB TEMPUS  
JEJUNIORUM

RECTOR ACADEMÆ ROSTOCHIENSIS  
**M. PETRUS** *Bede*

Math. Prof. Publ. Ord. & ad Ædem Cathedralem Jacobeanam  
Verbi Div. Minister



CIVIBUS ACADEMIÆ  
AMOREM PURUM  
DEI & SERVATORIS  
PATIENTIS,

TANQVAM

INCITAMENTUM PIÆ  
VITÆ GRAVISSIMUM,

Devote meditandum, proponit, omnesque larvatas  
discursationes, latqve Bacchanalia, ex hoc ipso  
fonte, detestatur.

---

ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

*M. 1236 111*



## Vantis difficultatibus ob-

luctandum sit illis, qui, dum summam virium naturalium in se depravationem agnoscunt, vitæ emendandæ rationem ingrediuntur, illi demum recte judicare possunt, qui ipsi manum operi admovent, omnesque vires, ad hunc scopum recte obtainendum, intendunt. Plurimi enim in tanta animi corruptione pravitatem suam ne animadvertisunt quidem, tantum abest, ut de emendatione solicii esse possint. Alii de mediis, circa hoc negotium conquirendis, ita laborant, ut jejuna nimis, parumque idonea, eligendo, non raro in deterius ruant. Alii post unum alterumve certamen, minus feliciter cum carne, atque sanguine gestum, animum despontent, se seq; objectis difficultatibus deterri patiuntur. Pauci, ex vero Israëlis fonte, infirmitatibus suis ita medentur, ut gratia Dei adjuvante, obstrepenibus licet omnibus animi motibus, in emendatione, semel incepta, strenue pergere aitantur.

In primis itaque hic commendare solent interiorem sui cognitionem, & ut fontem ipsum omnis miseriae, pravae puto philavtiā, studiose percontemur. Dici enim non potest, quam hoc emendationem nostram promoveat, intimos actionum omnium recessus, primamq; pravorum consiliorum scaturiginem, habere exploratam. Hinc non solum ad actiones, quas perpetramus, a recto tramite manifesto aberrantes, sed ad bonas quoque, quæ tales nobis apparent, speciemque virtutis præ se ferunt, sedulo attendendum, dispiciendumque, num forte ambitionis, aut voluptatis, aut avaritiae, aliorumque affectuum stimulo concitati, hoc vel illud negotium suscepimus.

Quibus ita rite observatis, præcipue istius propensionis,

quæ

quæ mentem nostram obsidet, fœditatem, incommoda quoque infinita, & miseras, qvas secum trahit, serio ex-pendere juvabit. Tandem certamen ipsum cum suis affectibus, emendatoris vitæ studiosus quotidie ingrediatur, ac vires omnes periclitetur; idq; eo constantiæ & patientiæ tenore, ut, si videat, difficulter rem proce-dere, & pugnam sc̄eplius ambiguam, aut anticipitem esse, novas subinde colligat vires, majorique & vehementi-orū impetu, hostem adoriat. Hæc & alia argumen-ta sunt, quæ studium humanitatis, quam Philosophiam vocamus, subministrat.

Sed vero, quæ mali nobis insidentis est pertinacia, quotidie tamen mens humana miris modis excruciata, & lentis quasi ignibus, ac clandestinis tormentis fatiga-ta, morosiori quadam tristitia penitus fere consumi-tur. Ad rei summam vero parum, vel nihil proficit: vix enim imminui pravas propensiones, & leviter im-mutari animadvertisit, tantum abest, ut optatam emen-dationem obtinere possit.

Jam si ad ea devolvatur, quæ miseram hanc vitam, & tot fœdis libidinibus obfessam, conseqvuntur; in-primis si melancholicum præponderet temperamen-tum, tum animus supra modum quoque horret, & stu-diosius etiam, intentiorve cura, ex tot miseriis emer-gere satagit. Cogitat sc̄ secum, Deum quidem summe bonum, ast eundem justissimum quoque esse, severissi-masque, & æternas poenas a peccatoribus, tam proter-ve legem suam migrantibus, exposcere. Hinc præ-ceps in statum servitutis ruit. Legis, comminationum-que horrorem, iræ divinæ metu perculsus, persent-iicit; nonnulla peccata anxie fugit; ab externis inpri-mis, & gravioribus, nonnunquam etiam ab occultis,

impari quamvis successu , sed uolo sibi cavet : sed , ut in pauca conferam , ex metu servili agit , quicquid agit ; revera clandestinum aliquod odium erga Deum fovens , ea prohibentem , aut præcipientem , quæ prohibita , aut præcepta esse nollet , quæve nonnisi invitus aut facit , aut intermittit , aut omnino fieri vel intermitti non posse existimat .

Qui vero naturæ , atque temperamenti conditione , uti voluptuosis accidere solet , ad statum securitatis , occulta saltem ratione , proni sunt , illos non minus anxie labem connatam , vitæque hujus imbecillitates nonnunquam conqueri audias ; magis etiam indignantur , pravos & astuantes affectus , huic vel illi necessitatibus implicatis , continere non licuisse ; & in reliquis ita se gerunt , ut speciem tamen honestatis retineant , & a peccatis gravioribus sibi temperent . Hinc cum non facile sibi Deum , ut judicem adeo severum , sed potius tanquam gratiosum , & mitissimum dominum concipient , suisque cogitationibus depingant , sub spe vitæ æternæ ita se ipsos temere decipiunt , ut nescio quæ gaudia in eadem , atq; tripudia , ad temperamenti sui rationem efficta , sibi præcipiant . Itaque ex blandienti , & fallaci imaginatione agunt , quicquid agunt , & Deum ex impuro amore ita colunt , ut re vera ad propriam suam voluptatem , & commentitiam felicitatem , tanquam unicum centrum , omnia referant .

Quæ in re tie & ipsi regeniti peccent , maximopere cavendum existimamus . Facile enim fieri potest , ut quis Deum amet , carumque habeat , non dicam propter bona hujus seculi , quod proprium erat voluptuosorum , sed propter dona saltem cœlestia , & speratam rerum superarum dulcedinem ; ita quidem , ut sub singularis erga

erga Deum pietatis prætextu , vel tantum suam felicitatem qværat , vel etiam amorem Dei sua beatitudine posteriorem ducat . Utrumqve perperam: recte quidem Bernhardus , non sine præmio , inquit , diligitur DEUS , et si absque præmio intuitu diligendus sit . Vacua namq; vera charitas esse non potest , nec tamen mercenaria est . Quippe non qvarit , qua sua sunt . Affectus est , non contractus : nec acquiritur pacto , nec acquirit: sponte afficit , & spontaneum facit . Verus amor se ipso contentus est . Habet præmium , sed id , quod amat . Sic itaqve habetote mortales , qui ex Christo nominis trahitis , Sacram quidem Scripturam , & Ecclesiæ Doctores non-nunquam argumenta , ab æterna beatitudine æternisque cruciatibus , desumpta , (ne sc omnis respectus ad nos ipsos , nostramq; felicitatem excludatur) in cohortationibus ad piam vitam recte adhibere , a deoq; cœlum , & orcum , ad emollienda durissima auditorum corda , in subsidium qvasi vocare . Illi tamen , qui statum gratiæ integrum tenent , amore DEI in primis , qui ex summa ejus excellentia , innumerisq; beneficiis , in nos collatis , existit , commoveri se patiantur .

B. Lutherus noster sicut intimorem rerum di-  
vinarum cognitionem in omnibus scriptis suis ab-  
unde comprobavit: ita miro qvodam artificio suis  
assectatoribus purum DEI amorem , ab ipsis incu-  
nabulis , in aureo suo catechismo , inculcare studet .  
Singulorum enim præceptorum subjectam explica-  
tionem eodem tenore , iisdemq; verbis , ita auspi-  
catur , ut ex sincero amore DEI omnia derivasse me-  
rito censendus sit . Qyæcunq; ergo ibi præcepta ,  
aut prohibita sunt , illa non tam intuitu pœnæ , aut

præmii, sed præcipue ex filiali reverentia, atqve  
puro erga DEUM amore suos facere, vel omittere,  
vult Megalander.

Abyſſum intuemur immensum, si ardentissimum  
summi creatoris amorem erga genus humanum in-  
spicimus; abyſſum, ex qvo ab omni æternitate, &  
ante jacta mundi fundamenta, tot tantaqve benefi-  
cia nobis scatent; abyſſum, ex qvo, post completum  
tempus, unigenitus DEI filius, in miserorum sola-  
tium, atqve auxilium, tam fatali auspicio, prodiit.  
En! mi homule, talem amatorem, qvi te qvidem  
prius amat, tanto studio ambit, innumerisqve do-  
nis allicit, hunc, inqyam, (nisi grave sit) redamare  
juberis; & ita qvidem juberis, ut proprium inde com-  
modum, vitæ sc. morumqve integritatem, vi & in-  
stinctu hujus amoris, instruas, atqve adornes.

Sed quid opus est, O. C. generalioribus hisce  
diutius inhærere? mementote saltem præsentis tem-  
poris, in qvo versamur. Tota sane passio Servato-  
ris, & qvicqvid nostra causa, tanta patientia, & tam  
moderato animo tulit, non solum certissima sunt a-  
micissimæ erga nos voluntatis signa, sed nostros et  
iam animos ad mutuum amorem, ut sc. ad ejus pati-  
entiam nostros qvoqve mores formemus, merito ex-  
citant, atqye inflectunt.

Sangvinous sudor Christo, præter communem  
hominum naturam, manavit, eoqve perfusus, sub  
torculari iræ DEI, in summa tristitia, qvam nostra  
vice subibat, fuit derelictus. Nobis qvidem sub  
cruce, & in rebus adversis, sudantibus gratia DEI  
nequaquam eodem modo subtrahitur (Pf 22.5 &c.)  
Hinc non obduremus corda nostra, sed ita potius, sub

pa-

paterna DEI manu ; atqve directione , emoliantur ;  
ut in illo , qvem diximus , sudore qvasi fluant , & fœ-  
tores carnis nostræ , ac veteris Adami fuligines , pau-  
latim exspirent.

Christum insectati sunt non solum inimici , sed ,  
in qvos summa ipsius exstabant merita , amici qvoqj ,  
atqye discipuli ; qvi tam fidelem Præceptorem ac Do-  
minum relinqebant , criminabantur , abnegabant ,  
hostibusqve tradebant . Quid Christus ? deserturos  
fideliter monuit , proditorem mitissimis verbis casti-  
gavit , abjurantem , vultu , ad omnem clementiam  
composito , ad poenitudinem flexit , & pro inimicis ,  
etiam in summa dolorum acerbitate , preces fudit ar-  
dentissimas . Sic nos qvoqve amicorum pariter atq:  
inimicorum injurias fortiter ferendo , neqvitiae illo-  
rum , propter illum ipsum , qvo DEO & Christo no-  
stro conjungimur , amore , libenter ignoscamus ,  
imprecantibus bene precemur , cum calumnianti-  
bus benedictis certemus , & insectatores in precibus  
nostris sincere DEO commendemus .

Christus colaphis non solum Judæorum , sed fla-  
gellis qvoqve Romanorum crudelissime cæsus , atqve  
laceratus , non tamen abrupt patientiam , sed potius  
perferendis ultimis cruciatibus qvasi præparatus ,  
summæ constantiæ documentum reliquit , ut nos  
qvoq; Satanæ , & hujus mundi colaphis percussi (2 Cor.  
11.7.) pravorumq; affectuum impetu turbati , non ta-  
men perturbemur , sed ad majores potius tentationes  
confirmati , propositum in statu nostro ita teneamus ,  
ut in precibus tamdiu perseveremus donec cum Chri-  
sto spiritualiter crucifixi , mortui , atq; sepulti , DEO  
nistro in illo affectuum frigore , tranquillitate , atq;  
morte , vivere incipiamus , Jam

Jam vero, O. C. ex eodem hoc fonte, atq; princi-  
piis, facile qvidem intelligitur, qvid è contrario de illis  
judicandum sit, qui larvatis discursationibus, bacchan-  
tium more, sanctissimum jejuniorum tempus teme-  
re profanare non dubitant. Tenetis ex antecedentibus,  
ne bonas qvidem actiones, ex carnis nostræ pro-  
pensionibus, (sic enim bona esse desinunt), sed ex di-  
vino qvodam afflatu, per verbum sc. & sacramenta ef-  
ficacissimo, peragendas esse. Funesta vero larvato-  
rum cohors nonne potius, ex impetuosa pessimorum  
affectuum rabie, omnia agere censenda est? Pravos  
hujuscemodi mores ab ethnicis originem suam habere  
patet; qvos tu qvidem imitaberis, illo in primis tem-  
pore, quod totius anni sanctissimum habetur? Christi  
facies, per ludibrium famulorum, in domo pontifi-  
cis, tegumentis operiebatur: vereor, ne hodierna  
larvatorum turba hoc ipso illudat optimum Salvato-  
rem! Sed ne erretis! DEUS non irridetur, Gal 6.7:  
illusionem enim sibi factam gravissime est vindicatu-  
rus. Itaque, O. C. per illum ipsum amorem, quo  
DEUS nos prius amavit, & per vulnera JESU, rogo vos,  
atque obtestor, ne tanto criminis vos obstringatis,  
iramque DEI denuo provocetis; imo potius sanctis-  
simum hoc tempus ita transfigite, ut veram animi  
quietem, tranquillitatem, atque felicitatem,  
in passione, & morte Domini, quaeratis  
atque inveniatis.

P.P. Sub Sigillo RECTORATUS  
Dominica Esto mihi  
Ao. MDCCXVI.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003520332/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003520332/phys_0011)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003520332/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003520332/phys_0012)

**DFG**

paterna DEI manu ; atqve directione , emol  
ut in illo , qvem diximus , sudore quasi fluant  
tores carnis nostræ , ac veteris Adami fuligine  
latim exspirent.

Christum insectati sunt non solum inimici  
in qvos summa ipsius exstabant merita , amici  
atqye discipuli ; qvi tam fidelem Præceptorem  
minum relinqebant , criminabantur , abne  
hostibusqve tradebant . Quid Christus ? de  
fideliter monuit , proditorem mitissimis verbis  
gavit , abjurantem , vultu , ad omnem clem  
composito , ad penitudinem flexit , & pro in  
etiam in summa dolorum acerbitate , preces fi  
dentissimas . Sic nos qvoqve amicorum pari  
inimicorum injurias fortiter ferendo , neqvit  
rum , propter illum ipsum , qvo DEO & Chri  
stro conjungimur , amorem , libenter ignos  
imprecantibus bene precemur , cum calumi  
bus benedictis certemus , & insectatores in pa  
nostris sincere DEO commendemus .

Christus colaphis non solum Judæorum ,  
gellis qvoqve Romanorum crudelissime cæsus  
laceratus , non tamen abruptit patientiam , sed  
perferendis ultimis cruciatibus quasi præpa  
summæ constantiæ documentum reliquit , u  
qvoq; Satanæ , & hujus mundi colaphis percussi  
12.7.) pravorumq; affectuum impetu turbati , n  
men perturbemur , sed ad majores potius tenta  
confirmati , propositum in statu nostro ita tene  
ut in precibus tamdiu perseveremus donec cum  
sto spiritaliter crucifixi , mortui , atq; sepulti ,  
nistro in illo affectuum frigore , tranquillitate  
morte , vivere incipiamus ,

